



care Conferentia episcoporum talium gentium, actis vero ab Apostolica Sede recognitis...⁴ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Propositum in cap. III expressum ut ritus singulorum sacramentorum readaptentur, nomine Conferentiae episcoporum neerlandicae, maxime laudare velim. Cum autem secundum hoc schema haec concreta instauratio relinquatur cuidam coetui peritorum in re liturgica. ² quidem. ³ deest. ⁴ Quantum ad particularia sequentia tantum adnotare velim:

1. Titulus cap. 3 potius sit: « de ceteris sacramentis », cum in capite praecedenti iam actum sit de sacramento Eucharistiae.

2. In prooemio huius capituli deleantur in regula prima et decima quarta post verba « sacramenta » verba « et sacramentalia », et tantummodo post cap. III seu in calce ipsius loquatur de sacramentalibus. In textu enim prout iacet indiscriminatim sacramenta et sacramentalia sub una ratione communi comprehenduntur et indiscriminatim de ambobus dicitur quod hauriunt suam virtutem ex passione Christi. Ratio propria sacramentorum ex una parte, et sacramentalium ex altera parte tali modo procedendi non plene salvatur.

3. Ad paginam 180, n. 53: omissa appellatione inter parentheses data, nempe « ordo supplendi omnia in Baptismo », haec paragraphus sic melius libelletur:

« a) Loco “ ordo supplendi omnia super infantem baptizatum ” novus ritus conficiatur ad celebrationem in communi receptionis infantis in Ecclesia ».

« b) Item conficiatur novus ritus ad significandam perfectam integrationem neoconversorum, iam valide baptizatorum, in Ecclesia Christi ».

Rationes harum emendationum:

Ad a). Ipse ritus baptismi significat iam ex seipso receptionem infantis in Ecclesia. Novus ritus potest tantum haberi ut celebratio liturgica in communi illius quod in secreto raptim est factum propter periculum mortis.

Ad b). Ritus quo neoconversus iam valide baptizatus incorporatur perfecte in Ecclesia habet reapse ratio significationis integrationis perfectae in Ecclesia Christi.

13

Exc.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

Venerabiles Patres,

1. *Valde opportunum videtur* ¹ et prorsus necessarium elevari magis aspectum pastorem in liturgia sacramentorum. Et hoc propter rationem omnino evidentem — quia una ex parte sine liturgia sacramentorum cura animarum pastoralis perdet suum valorem maxime essentialem eumque supernaturalem; altera ex parte liturgia sacramentorum sine contextu — ut ita dicam — pastoralis perdet debitam sibi vim in animas. Etsi ergo circa quaestiones pastorales praevideantur forsitan schemata specialia, nullo tamen modo noceret etiam hic in introductione

cap. III quaedam verba interponere. Et tunc propono, in pag. 179, lin. 7, post omnia, quae in primo acapite *huius introductionis*² dicta sunt, adiungere: « Pastores autem animarum, quorum est vitam christianam in fide bene fundatam alere, sua in hac re conamina sive pastoralia sive catechetica, cum Sacramentis praesertim, etiamque cum sacramentalibus intime coniungant ».

2. Sub eodem aspectu pastorali oportet etiam dicere aliqua circa par. 2, de sacramentis initiationis christianae. Prout enim ex textu huius paragraphi videtur, ipsa notio « initiatio christiana » habet sensum etiam pastorem. Initiatio *utique*³ fit per sacramenta in primis Baptismi, deinde etiam Confirmationis. Sed — ut videtur — initiatio fit non tantum per ipsum Baptisma, sed etiam per catechumenatum, quo durante homo adultus praeparatur ad totam suam vitam modo christiano ducendam. Praeparatur ergo, ad minus mediate, etiam ad cetera sacramenta, quorum ope vita humana revera christiana redditur. Tunc initiatio videtur aliquid amplius quam sola susceptio Baptismi vel etiam postea Confirmationis.

Talis extensio notionis « initiatio christiana » maximi debet esse momenti praesertim nostris temporibus, quando etiam homines baptizati non sunt eo ipso sufficienter initiati in totam veritatem vitae christianae. Problema hoc autem quam maxime spectat ad curam animarum nostramque actionem pastorem et catechetica.

Unde videtur esse valde opportunum et forsitan necessarium ad gravitatem huius problematis assignandam in n. 51, ubi sermo est de Baptismate parvulorum, aliqua verba de onere initiationis in sensu pastorali et catechetico *adiungere*.⁴ Clarum est enim Baptisma parvulorum nullo catechumenatu *in sensu pastorali*⁵ anticipari. Loco proinde verborum *quae ibi sunt*⁶ « partes etiam parentum et patrinorum in ipso ritu melius in luce ponantur », propono alia verba quae forsitan magis rem explicent:

« Cum autem Baptisma parvulorum non habet praeviam praeparationem, id est catechumenatum, eodem sensu ac Baptisma aduorum, tunc partes parentum et patrinorum melius in luce ponantur etiam in ipso ritu. Parentes ergo et patrini in Baptismate eo modo tractentur, ut sciant haec omnia, quae ad initiationem christianam pertinent quoad instructionem religiosam catholicamque educationem sibi gravissime incumbere ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Primo: Videtur valde opportunum. ² deest.
³ deest. ⁴ addere. ⁵ deest. ⁶ deest.